

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Commentatio Theologica Ad Qvæstionem LXXX.  
Catechismi Palatini**

**Gebhardi, Brandanus Heinrich**

**Gryphiswaldiæ, [MDCCXX?]**

**VD18 10460977**

Einleitung

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17180**



## I. N. J. A.



Vid PAPA Romanus ejusq̄ cultores, ad extirpandam Protestantium ecclesiam, à primo statim salutaris reformationis initio, insidiis pariter ac armis tentaverint, neminem latet. Nunc ad pristinum redeunt furorem, ne quod seculum odii illorum erga nos luculentissimis careat testimoniis, dum, contemptis sacrosanctis imperii Germanici pactis, in Electorali Palatinatu alibiq̄ve Protestantibus templa eripiunt bonaq̄ve ecclesiastica, id quod relationibus publicis, aliisq̄ scriptis specialioribus satis edocti sumus, ex quibus inprimis notari merentur. : Der Evangelischen neue Religions- Beschwerd / welche auf Gutbefinden unterschiedlicher Evangelischer Gesandtschaften in Regensburg zum Druck übergeben worden. Item : Die Vorstellung des gesamten Corporis Evangelici an die Hochfürstl. Pfaltz- Zweibrückische Gesandtschaft. Hactenus quidem de REFORMATO- RUM ludi videtur corio : Illum vero cœcum esse oportet, qui non videat, nostram simul rem agi, paries cum proximus ardet. DEUS itaque omnipotens prava hostium consilia disturbet, ecclesiæq̄ suæ, inprimis Patriæ nostræ, pacem conservet sempiternam. Inter alia REFORMATIS

A lis

lis mota est de CATECHISMO suo HEIDELBERGENSI, utpote cujus exempla omnia sibi tradere, hacque ratione catechismum ipsum prorsus abolere jussit Elector. Mandatum ipsum, una cum *Theologorum & Inspectorum Ecclesiar. Reform. in Palatinatu exceptionibus*, insertum est *Fascic. V. Classis 2. Biblioth. Hist. Philol. Theologicae*, Bremae hodie prodeuntis. Præcipue vero *Quæstio 80.* fudes est in oculis Pontificiorum, quam præ cæteris expungi volunt. Placet ad eam, in gratiam Studiosorum, nonnulla commentari, præmissa brevi Catechismi historia. Quod ut feliciter evenire jubeat DEUS T. O. M. precamur.

### HISTORIA CATECHISMI PALATINI.

**D**Ocent historiarum monumenta, haud raro falsos doctores, & imprimis etiam REFORMATOS, ubi, oppressa veritate, hæresin suam intrudere ausi sunt, CATECHISMI LUTHERI depravatione, aut plenaria abolitione aliisque surrogatione initium fecisse, facile nempe perspicientes, non parum ad dogmata sua propaganda conservandaque conferre, si tenera juvenus à primis ungviculis, & cum lacte quasi materno eadem imbibat. ANDREÆ OSIANDRI hoc fuisse institutum, qui Norimbergæ novum conscripserit Catechismum, Prussicis deinde ecclesiis obtrudendum, cui error de *Justificatione hominis peccatoris per essentialem DEI justitiam* insertus fuerit, *Synodus Salsfeldensis* refert apud WIGANDUM in *Historia Osian-drismi*, pag. 337. 352. 353. Idem in *Saxonia* tentasse *Interimistas Pontificios*, sua ætate querebatur FLACIUS. Vid. SONTAGII *Ἐπιόγωνα de Quorundam Theolog. Sec. 16. & 17. eruditione &c.* pag. 121. Idem fuit consilium *Crypto-Calvinistarum*,